

ARTICULUS II.

Quænam sit Notio et OEconomia Jurisprudentiæ Ecclesiasticæ?

229. *Nota.* Præter varias acceptiones *Jus* potissimum usurpatur sive pro legibus singulis, sive pro legum collectione: *Ecclesiasticum* dicitur ab Ecclesia; quæ cum sit cœtus inæqualium, ac eundem actum non habentium, rite ordinatus, utpote a Christo institutus et potestate auctoritativa donatus, hoc ipso certis legibus carere non potest. Harum legum notitia scientifica rectius *prudentiæ* quam scientia appellatur; quia, agendorum potius praxin, quam credendorum meditationem et curam gerit. Quamquam enim tum fundamentalia Religionis capita tum reliqua fidei dogmata intra facultatis hujus ambitum confineantur, quin et plurimam partem in corpore Juris sacri claudantur; principalius tamen ea Theologiæ deberi adeo convenit inter omnes, ut nec morum principia sive ex Evangelio sive ex jure naturali provenientia sacræ Jurisprudentiæ tribuantur, nisi ad statum Ecclesiæ publicum aut animarum externum pertineant. Quare *Juris Ecclesiastici* nomine leges tantum positivas, easque ab Ecclesia ipsa h. e. Magistratu Ecclesiastico latas intelligimus. Forte tamen nec eas Ecclesiæ constitutiones dicere oportebat leges; cum ipsa easdem canones aut regulas vocare consueverit; unde et *Jus Canonicum*, sicut a potissimo auctore *Pontificium*, et a materia *Sacrum* compellatur.

230. *Dico I.* *Jus Ecclesiasticum* pro lege acceptum dividitur 1^o ratione auctoris in *Canonicum* et *Pontificium*. *Jus Canonicum* seu Canon est constitutio in Concilio condita: *Jus Pontificium* est constitutio facta extra Concilium, et hinc a Pontifice; cum lex universalis seu pro universa Ecclesia non nisi a Pontifice ferri possit. 2^o Ratione materiæ in Dogma, Mandatum, Interdictum et Sanctionem. *Dogma* est constitutio sive de fide sive de re ad fidem spectante aut ordinata: *Mandatum* pertinet ad disciplinam ecclesiasticam: *Interdictum* tendit ad correctionem malorum: *Sanctio* pœnam dictat ad cautelam futurorum. 3^o Ratione formæ internæ in Decretum et Rescriptum. *Decretum* constitutio est a Pontifice de consilio Cardinalium edita ad nullius consultationem: *Rescriptum* specificè sumptum est responsum scriptum, seu constitutio ejusdem sine vel cum Cardinalium consensu data ad alterius quæcumque postulationem; dicitur etiam *Epistola Decretalis*. 4^o Ratione formæ externæ in vivæ vocis Oraculum, Bullam et Breve. *Oraculum* primitus verbo duntaxat datur, licet postea in scripturam forsitan redigatur; reliqua non nisi litteris consignata prodeunt: *Bulla* est scriptura major in membrana, plumbeo de funibus pendente sigillo munita: *Breve* est scriptura modica frequenter in papyro, signata cera rubra et annulo Piscatoris, h. e. sigillo imaginem S. Petri, rete in mare e navi projicientis, referente.

Præterea annotari merentur 1. *Regulæ Cancellariæ*, seu ordinationes constitutæ pro causis maxime beneficialibus et stylo Cancellariæ Apostolicæ: quæ speciale hoc habent, ut expirent cum morte Pontificis. 2. *Declarationes Cardinalium*, scilicet Concilii Tridentini Interpretum, seu Expositiones Tridentinorum Decretorum circa mōres: quæ doctrinales non tantum, sed au-

thenticæ sunt; si sint comprehensivæ, emanent consulto prius Pontifice, hujus nomen expressum referant, et in formâ authentica proferantur. 3. *Decisiones Rotæ Romanæ*, seu sententiæ Judicum, in orbem sedentium, ex diversis nationibus ad causas litigiosas decernendas a Pontifice Romæ constitutorum: quæ tamen vim juris saltem universalis et extra curiam Romanam non habent; cum iudicibus his potestas haud sit leges ferendi, sed solum iudicandi secundum leges.

231. *Dico II.* *Jus Ecclesiasticum* pro legum collectione sumptum, aliud est vetus, quod *Codex Canonum* appellatur; aliud novum, quod *Corpus Juris Canonici* dicitur; aliud novissimum, quod *plures collectionum species*, post Sixti IV. Constitutionem an. 1483. editam, publicatas complectitur.

1. Codicem Canonum nullum tribus seculis primis extitisse, satis exploratum est. Quæ enim collectio aut Canonum Apostolicorum aut Constitutionum Apostolicarum circumfertur, juxta communem jam criticorum opinionem, nec hanc ætatem, nec illos auctores cognovit.

In Oriente sub finem sec. 4ⁱ circa an. 385. Canonum Codex prodiit, qui videtur antiquissimus. Nec enim Romana Ecclesia præter Nicænos et Sardicenses Canones hoc ævo admisit alios, ut Innocentii epistolæ testantur: nec Africanæ Ecclesiæ Codex cœvus est aut antiquior; cum ex iis plurimum Conciliis sit depromptus, quibus et S. Augustinus interfuit, adeoque natales suos prope medium sec. 5ⁱ celebrat. Continet autem Orientalis hic Codex continuata numerorum serie sibi succedentes Canones Conciliorum Nicæni I., Ancyrani, Neocesarensis, Gangrensis, Antiocheni, Laodiceni et Constantinopolitani I., atque in Concilio Chalcedonensi laudatus et commendatus auctoritatem suam potissimum est nactus. Idem apud Græcos accessiones plurimas cepit ad an. 860. usque; quas enarrare nostrum non est.

In Occidente antiquus quidem is Romanæ Ecclesiæ Codex asseritur a multis, qui a Quesnello et Pitheo notis illustratus seculo priori prodiit: quoniam vero non idem est omnium iudicium, primas damus illi, quem Dionysius cogn. Exiguus sub seculi 6ⁱ initium condidit, Romana autem Ecclesia mox acceptavit. Complectitur is concinniores Codicis Orientalis latine jam antea versi translationem; Canones etiam Sardicenses, Africanos et Chalcedonenses; præterea epistolas decretales Pontificum Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Cœlestini, Leonis magni, Gelasii et Anastasii: item Canones 50. Apostolicos; quos tamen an Dionysius ipse, an alius adjecerit, non certo habetur.

Pro Ecclesia *Africana* sub medium seculi ejusdem scripsit Breviationem Canonum Fulgentius Ferrandus Eccl. Carthagineus Diaconus; sub finem seculi 7ⁱ autem Breviarium Canonicum Cresconius Episc. Africae. Pro *Hispanica* Martinus Episc. Braccarensis post medium sec. 6ⁱ, sub initium autem sec. sequentis Isidorus Archiepiscopus Hispalensis Collectionem Canonicam ediderunt. Pro *Galiciana* Ecclesia quo auctore vel tempore specialis Codex conditus sit, nihil scitur: an distinctus a Dionysiano (quem constat ab Hadriano sub finem sec. 8ⁱ in Gallias missum, atque pro his a Carolo Magno acceptatum) prius extiterit, incertum est. Sane constat, præter proprias a Conciliis suæ Provinciæ editas constitutiones, plerosque Græci Codicis Cano-

nes et Pontificum Decretales tum Africanis et Hispanicis collectionibus inser-
tas, tum a Gallis observatas frequenter reperiri.

Veteris hujus Juris integritatem violare cœpit circa finem sec. 8ⁱ aut ini-
tium 9ⁱ Isidorus cogn. jam Mercator jam Peccator, dum Collectionem Canoni-
cam Isidori Hispalensis fere duplo amplius auxit, adjectis tum spuris Ponti-
ficum, Clementi I. et Damaso interjectorum, epistolis decretalibus, tum Con-
ciliorum usque ad an. 683. celebratorum Canonibus. Adulterinas has merces
post sec. noni initia ex Hispania in Gallias intulit Riculfus Archiepiscopus
Moguntinus: suis autem Canonum Collectionibus inseruerunt sequentium
seculorum scriptores, Regino Prummiensis, Burchardus Wormatiensis, An-
selmus Lucensis, Ivo Carnotensis, aliique in proximo Patrum et Scriptorum
Ecclesiasticorum syllabo notati, qui suis in Collectionibus varia figura et ra-
tione editis Scripturæ sacræ Patrumque testimonia, Pontificum tam falsa
quam vera Decrēta, Conciliorum antiquorum et recentiorum Canones, Legum
Romanarum et Capitularium Francorum placita pro jure Sacro retulerunt.
Atque ex his potissimum aliisque quibusdam monumentis compilatum opus
an. 1151. edidit GRATIANUS O. S. B. Professus Bononiæ, quod Concordia dis-
cordantium Canonum inscribitur, vulgo autem Corpus Decretorum, aut
absolute Decretum compellatur.

II. *Jus novum* seu Corpus Juris Canonici sex partes complectitur. 1^a est
Decretum Gratiani, de quo proximus sermo fuit: 2^a Compilatio Decretalium
epistolarum, auctoritate Gregorii IX. et opera Raymundi de Pennafort
an. 1234. facta et promulgata: 3^a Liber sextus Decretalium a Bonifacio VIII.
an. 1299. editus: 4^a Clementinæ h. e. Constitutiones a Clemente V. collectæ,
sed a Joanne XXII. an. 1317. promulgatæ: 5^a Extravagantes Joannis ejusdem
et ab eodem an. 1325. compilatæ: 6^a Extravagantes communes sub finem
seculi 15ⁱ in unam collectionem compactæ.

Decretum ex quibus coaluerit, nuper est dictum. Dividitur in tres partes.
Earum 1^a continet Distinctiones 101, quæ in Canones secantur; tractatque
de Jure et Personis Ecclesiasticis: 2^a complectitur Causas 36., quæ in Quæs-
tiones, sicut hæc deinceps in Canones dividuntur, excepta Cause 33^e Quæstione:
3^a quæ de Pœnitentia inscribitur, ac prius in Distinctiones, tum in Canones
scinditur, agitque universim de Judiciis et negotiis sacris: 4^a de Consecra-
tione nomen gerit, habetque Distinctiones 5. in Canones rursus divisas; qui-
bus argumentum tituli aliaque ad cultum Dei spectantia exponuntur. In
iisdem partibus præmittuntur Distinctionibus et Quæstionibus Principia vel
Summæ, quæ argumentum rei tractandæ præferunt; subjiciuntur Canonibus
Paragraphi, qui rationem conciliandi Canones exponunt; in Canonum nu-
mero nonnunquam apparent *Paleæ*, quæ sunt additamenta aliena; cum
summæ et paragraphi sint propria Gratiani studia et sensa. Partibus omni-
bus subduntur Canones Pœnitentiales 47.; et Canones Apostolorum 84.

Decretales depromptæ sunt ex aliis post Gratianum collectionibus Bernardi
Cirta; Joannis Vallensis, Petri Beneventani, Tancredi et aliorum, suntque
maximam partem Epistolæ Pontificum circiter 36. a Gregorio I. usque ad
Gregorium IX.; reliquam constituunt testimonia Scripturæ, Canones tum
Apostolorum, tum 37. Conciliorum ab Antiocheno ad Lateranensē IV. usque
celebratorum, effata item Patrum aliorumque decem fere auctorum. Divi-
duntur in Libros quinque, Libri in Titulos, Tituli in Capita sive Capitula,

hæc forte prolixiora in Paragraphos. Liber 1^{us} complectitur Titulos 43.,
tractat post præmissam Constitutionum, Consuetudinis et Rescriptorum
materiam, de Personis Ecclesiasticis, Prælati et Judicibus sacris: 2^{us} Titul.
30. de Processu Judiciali: 3^{us} Tit. 50. de Clericorum Secularium et Regula-
rium vita, obligationibus, et rebus: 4^{us} Tit. 21. de Sponsalibus et Matrimonio:
5^{us} Tit. 41. de delictis eorumque pœnis.

Reliquæ Juris novi partes eandem Librorum et materiæ rationem sectan-
tur, minuto tamen Titulorum numero. Liber 6^{us} ex posterioribus Grego-
rii IX. et sequentium usque ad Bonifacium Pontificum, necnon Conciliorum
Lugdunensium œcumenicorum Constitutionibus, Rescriptis et Decretis col-
lectus, Tit. 79. complectitur. *Clementinæ* editas a Clemente V. tum in Concilio
Viennensi tum ante vel post illud Constitutiones complectuntur sub 51. Titu-
lis. *Extravagantes* sic dictæ, quod post memoratas hactenus collectiones
Corpori Juris insertæ non forent, Pontificum etiamnum nomen retinent;
et illæ quidem *Joannis XXII.* auctorem suum satis prodentes, Tit. 14.
duntaxat numerant; aliæ autem *Communes* appellatæ, variorum Pontificum
ab Urbano IV. ad Sixtum IV. Constitutiones, hominis privati studio collectas,
exhibent sub Tit. 35. De Libro 7^o Decretalium a Petro Matthæi, et Institutio-
nibus Juris Canonici a Paulo Lancelloto editis, ac Corpori Juris editione re-
centiore annexis nihil attinet dicere; cum privatorum collectiones sint, nec
auctoritate nec usu robor legale unquam consecutæ.

III. *Jus novissimum* aliud est absolutum et ex auctoritate, aliud hypotheti-
cum et ex pacto. Priori continentur Concilia ætate Corporis Juris Canonici
posteriora, præsertim Tridentinum, Bullarium, Regulæ Cancellariæ, Decreta
Congregationis, Decisiones Rotæ: posteriori Concordata Germaniæ, Transac-
tio Passaviensis, Pax Religiosa, Pax Westphalica. De plerisque sub jure absol-
luto contentis diximus vel num. priore vel in historia Conciliorum. Solum
Bullarium restat, quod est collectio Constitutionum Pontificiarum in Corpore
Juris non clausarum, quam Laertius Cherubinus initium a Leone I. sumens
suscipit, filius Angelus Maria Cherubinus continuavit, alii typis Romanis aut
Luxemburgicis ad nostra usque tempora sunt prosecuti. De reliquis specialis
pro Germania et pactitii juris speciebus, ad notitiam duntaxat aliquam,
pauca subjicimus; cum ad cognitionem earum exactam tribuendam, politi-
cas Imperii rationes multamque historiam exponere oporteret, quod a nostro
hic instituto alienum videtur.

Concordata Germaniæ sunt conventa Pontificem inter et Germaniæ Princi-
pes circa res aut statum Ecclesiæ in Germania. Præter illa inter Callixtum II.
et Henricum V. an. 1122. inita, de quibus in historia Conc. Lateranensis I.
dictum, et alia forsitan anteriora Adriani ac successorum cum Carolo M. et
Ottonibus pacta, antonomastice intelligitur illa conventio, quæ super causis
beneficariis Fridericum III. Imperiique Principes plures, non omnes, tum
Ecclesiasticos tum Laicos inter et Pontificis Legatum an. 1447. concepta,
19. Martii 1448. autem a Nicolao V. per Constitutionem, *Ad Sacram Petri
Sedem*, confirmata fuit.

Præcipua Concordatorum capita sunt: 1. Pontifici reservantur beneficia
Ecclesiastica cujuscumque dignitatis aut nominis, quæ apud sedem Aposto-
licam vacare contigerit. 2. In Ecclesiis Metropolitanis et Cathedralibus, nec-

non Monasteriis Pontifici immediate subjectis, vigeat electio canonica, a Pontifice examinanda et confirmanda; nisi ex rationabili et evidenti causa de digniori et utiliori persona Pontifex de consilio Cardinalium duxerit providendum. 3. Reservantur Pontifici dignitates post Episcopalem majores in Cathedralibus, et principales in Collegiatis. 4. Quoad alia beneficia statuitur alternativa mensium inter Pontificem et Collatores ordinarios, ita tamen, ut si tertio post mense, quam vacare coeperit beneficium, Apostolica provisio non innotescat, ea ad ordinarium devolvatur. 5. Annate Episcopatum et Abbatiarum, Pontifici solvendae, determinantur. Postrema de alternativa et Annatis capita adjectam conditionem habent: nisi in futuro Concilio de consensu Germanae nationis aliter fuerit ordinatum. Aliud de expectativis beneficiorum regularium statuto universali Tridentini Sess. 24. c. 19. de Reform. ad omnes extensum jam nihil singulare habet.

Transactio Passaviensis dicitur ea conventio, quae ad sopiendum bellum, ex foedere Schmalealdico Protestantes inter et Catholicos ortum, a Ferdinando Rom. Rege et quibusdam Principibus Catholicis cum Foederatis 2. Aug. 1552., sub reservatione rati habitationis Caesareae Caroli V. inita est Passavii. Hic, quantum ad Religionem spectat, conveniebatur, ut infra semestre celebrarentur comitia, in quibus de via componendi dissidia Religionis deliberaretur: interim Augustanae Confessioni addictis nulla in Imperio violentia, molestia aut contemptus propter Religionem inferretur; sicut vicissim nec illis, qui antiquae Religioni adhaerent, h. e. Catholicis.

Pax Religiosa praeliminarem hunc Tractatum excepit, Augustanis in Comitibus 25. Septemb. 1555. Ferdinandum jam potestate munitum et Catholicos Principes inter atque Protestantes icta. Quamvis de fide ipsa decerneretur nihil, nec probaretur Religio nova; nomen tamen illud obtinuit, quod tranquillitas externa fuerit sancita, et pacis Imperii publicae extensio ad causas Religionis facta, eoque, dum sequatur absoluta et finalis compositio Religionis ac fidei.

Articuli ad rem nostram pertinentes sunt: 1. Nullus Imperii status, neque immediata Nobilitas, propter Augustanam Confessionem patiatur vim aut contemptum. 2. Controversiae Religionis mediis Christianis et amicabilibus componantur. 3. C. A. addicti statibus Catholicis eorumque Capitulis nullam inferant molestiam. 4. Dispositio de Collegiis, Coenobiis ac bonis Ecclesiasticis ante Transact. Passaviensem ad alios usus a Protestantibus facta, persistat firma. 5. Praelati Ecclesiastici a veteri h. e. Catholica Religione discedentes, sua dignitate et beneficio excidant, salva tamen existimatione eorum ac honore. Articulus hic *Reservatum Ecclesiasticum* audit. 6. Jurisdictio Ecclesiastica, salvis redditibus et juribus, adversus A. C. addictos esto suspensa; exercentur tamen more recepto circa ea, quae huic Confessioni non sunt contraria. 7. Cuilibet statui integrum sit jus seculare, quod quis ante orta Religionis dissidia habuit in proventus Ecclesiarum intra territorium suum constitutos; ita tamen, ut absque discrimine Religionis ex iis sustententur ministeria sacra, parochiae, scholae, hospitalia prout moris erat. 8. Nullus status alium constatum ejusve subditos vi aut arte pertrahat ad suam Religionem, aut hos contra proprium magistratum tueatur. 9. Subditis utriusque Religionis conceditur jus emigrandi. 10. In civitatibus Imperiali-

bus liberis, ubi utraque Religio vigeat, incolae vivant pacifice, nullusque alterum turbet in suae Religionis exercitio. 11. Exclusi sint ab hac pace, qui neque veteri Religioni neque Augustanae Confessioni adhaerent.

Pax Westphalica illa intelligitur, quae post frustrata Pacis Religiosae media, post scissum, ob jus reformandi immoderate exercitum, in factiones Imperium, post enatum exinde, et rebellionis Bohemicae occasione, bellum triennale an. 1648. sancita est duplici Instrumento, altero Monasterii inter Ferdinandum III. Catholicosque Principes et Ludovicum XIV. Galliae Regem Protestantium adiutorem, altero Osnabrugae inter Imperatorem cum Catholicis eundem et Christinam Sueciae Reginam Protestantium sociam condito. Pax haec, quantumvis a Summis Pontificibus fuerit reprobata, confirmata tamen est in Comitibus Imperii sequentibus, et in plerisque Germaniae provinciae executioni mandata; hodie in foro seculari observatur.

Religionem concernunt ex pactis Monasteriensibus vix ullum, ex Osnabrugensibus autem praecipue sequentia. 1. Transactio Passaviensis et Pax Religiosa confirmatur atque a praesenti conventionem declaratur; contra quam declarationem nulla juris adminicula locum habeant: si quod dubium in causa Religionis oriatur, de eo in Imperii comitiis amicabile ratione transigatur, non attenda votorum pluralitate. 2. Religionis intuitu vis nemini paciscentium inferatur, nec subdito quidpiam contra conscientiam et Religionis suae principia injungatur: nemo etiam Religionis causa habeatur despectui: nec mercatorum, opificum etc. communione, nec legatis, eleemosynis, hospitalibus etc., nullominus coemeteriis publicis aut sepulturae honore arceatur. 3. Terminus a quo restitutionis Ecclesiasticae et dies normalis sit 1^a Januarii 1624., fiatque conservatio aut reductio ad statum dicti anni et diei in omnibus quoad Praelaturas, beneficia, jura, redditus et alia, etiam quoad numerum Canonice et exercitium Religionis in mixtis Ecclesiis. 4. Qui retenti sunt a Protestantibus ob possessionem anni hujus decretorii, vel illis ex aliis rationibus cedebantur Archiepiscopatus, Episcopatus, caeteraque dignitates Ecclesiasticae cum territorio appertinente, vel secularizentur, vel in ordine Principatum Ecclesiasticorum permaneant, jure eligendi vel postulandi foundationibus immediatis stabilito, haereditaria autem successione exclusa. 5. Imperator investiat Protestantes Episcopos post praestita jura: per primarias preces presentet ejusdem Religionis consortem cum defuncto. 6. Jus Diocesanum et tota jurisdictio Ecclesiastica cum speciebus suis omnibus contra A. C. status eorumque subditos esto suspensa: executio non decernatur pro exactione Annatarum, Jurium Pallii, mensium Papalium in Ecclesiis Protestantibus. 7. Inter utriusque Religionis status sit exacta aequalitas, ut quod uni parti justum est, alteri quoque sit justum: unde et Reservatum Ecclesiasticum extenditur etiam ad Protestantes Praelaturis Ecclesiasticis potitos; qui gaudent eodem titulo et proedria cum Catholicis: adlecti etiam ex utraque Religione Assessores in Camera Imperiali et Judicio Caesareo Aulico pari numero causas inter Catholicos et Protestantes aut illos solos agitatae discutiant et judicent. 8. Statibus immediatis cum jure territorii competat jus reformandi exercitium Religionis: subditi tamen retineant exercitium an. 1624. quacumque anni parte habitum, nec cogantur emigrare: qui id dicto anno non habuerint, his emigrandi jus conceditur: si nec sponte emigrare voluerint, nec a territorii domino jussi fuerint, pa-

tienter tolerentur conscientia libera privatim domi vacare suæ devotioni. 9. Præter Catholicos et A. C. addictos comprehenduntur in hac Pace etiam Reformati seu Calvinistæ, ita, ut præter tres illas Religiones nulla alia in Imperio recipiatur vel toleretur.

232. *Dico III.* Jurisprudentia Ecclesiastica est disciplina practica, Republicam Christianam ad politiam Sacram manuducens per leges Ecclesiasticas ritè perspectas.

Dicitur 1. *Disciplina*; quia ad imitationem dictorum de Theologia, ad usum potius rei quam statum mentis attendimus. 2. *Practica*; quia actus Jurisprudentiæ hujus primarii, canones scilicet et aliæ regulæ, vim dirigendi habent, praximque objecti intendunt. 3. *Republicam Christianam*; tum quia rei nomine venire possunt et personæ et actiones Ecclesiasticæ; cum priores earumque officia spectentur ad res sacras, quas tractant; posteriores autem ad acquirendas, conservandas aut alienandas res Ecclesiasticas maxime referantur; tum quia fideles ab hac Jurisprudentia non considerantur more Theologiæ Moralis ut singuli, sed vel ut omnes, vel ut membra communitatis Ecclesiasticæ; tum quia infideles aut baptismo carentes Ecclesiasticis legibus non subjacent, nec hæ illos, qui foris sunt, respiciunt. 4. *Ad politiam Sacram manuducens*; quia, quamvis finis ultimus Jurisprudentiæ Sacræ sit salus interna præsentis vitæ et felicitas æterna futura, ea tamen proxime determinat externa, eoque immediate spectat, ut cura animarum, fori exercitium et regimen Ecclesiæ ordinate, honeste ac justè geratur. 5. *Per leges Ecclesiasticas*; quia, sicut in Civili, sic in Ecclesiastica Jurisprudentia ratio juris positivi præcipua habetur, sive illud acceptatione sive constitutione sive approbatione legitimi magistratus, vim obligandi primam aut novam obtinuerit. 7. *Ritè perspectas*; quia attendi debet 1º, an uno ex prædictis modo vim obligandi aliquam habeant: 2º, an universim, an pro speciali casu aut circumstantiis loci, temporis, personæ, aut aliis enuntient: 3º, an vigeant etiamnum, an per jus posterius, consuetudinem contrariam, vel aliud mutationis genus non amplius obligent: 4º, quinam sit sensus legitimus secundum genuinas hermeneuticas regulas etc.

Atque ad primum harum observationum punctum statui potest de jure triplici supra proposito. Quia enim Romana Ecclesia *Codicem Canonum* acceptavit; Jus antiquum vim legalem habet, nisi ubi aliquo mutationis modo eam perdidit. Præterea vero quia Pontifices nominati Libros Decretalium cum Sexto, Clementinis et Extravagantibus solemniter promulgando eorum decreta vel constituerunt vel approbarunt; Jus novum quoad has partes in vim legis obligat: ob defectum modi legalis cujuscumque communius asseritur contrarium de Gratiani Decreto etiam post correctionem Romanam; adeo, ut Summæ et paragraphi, qui Gratiani sunt, et rubricæ canonum, qui sunt auctoris incerti, nullam habeant auctoritatem; Canones autem, genuini etiam ipsi, non aliam, ac quam merentur fontes, unde desumuntur: usus autem Scholæ et praxis fori, falsis etiam Decretalibus plus tribuens, facere forsân potest præjudicium aliquod, legem condere non potest.

Denique *Jus novissimum* auctoritativum quam potestatem habeat, ex ejus auctoribus petendum est: utrum reipsa obliget ex jure et facto promulga-

tionis determinari potest ac debet. Quod tandem jus idem pactitium attinet, Concordata quidem obligationem utrinque producant: reliqua autem an idem justitiæ vinculum efficiant, disputatur: eadem tamen in foro observanda esse convenitur.

233. *Observa.* Codicem Canonum non sola acceptatione Romane Ecclesiæ, de qua nuper diximus, sed etiam solemnè Constitutione pro norma Judiciorum Ecclesiasticorum a Leone IV. propositum fuisse, Dist. 20. Canon. 1. *de Libellis* aperte testatur. Cum proinde ad Jus novum fuerit relatus, nec tamen passim prostet; placuit eundem ad complementum œconomiae Canonice dandum hic subjicere. Ne vero repetamus dicta alibi, Canones œcumenicorum Conciliorum omittimus; ne quoque Decretales Pontificum Juri novo insertas, ideoque passim obvias hic proferamus, hoc Dionysii Exigui auctarium simili silentio præterimus. Quare non restant producendi, nisi Codex Orientalis, isque secundum Concilia particularia, et alter Africanus Codex; quorum nunc compendium pro more superius usurpato subteximus.

CODEX CANONUM ANTIQUUS.

CODEX ECCLESIE ORIENTALIS.

CANONES CONC. ANCYRANI AN. 315. AB 18. PP. CELEBRATI. 1. Presbyteri in idololatriam lapsi, martyrio tamen se postea offerentes, retineant dignitatem, sed officio non fungantur. 2. Similibus Diaconis similis indulgentia et pœna detur. 3. Per vim passi ritum paganum, sed in fide constantes, nec communionem priventur, nec sint irregulares. 4. Ad idem coacti primum, post autem circa ritum indifferentes, anno inter Audientes, triennio inter Pœnitentes hæreant. 5. Ex timore, ritu gentili contaminati, triennio non communicent, si dolorem pacti prodiderint. 6. Si hucusque non doluerint, sexennem pœnam subeant: neutris tamen in periculo mortis communio propter viaticum negetur. 7. Qui sæpius idolis immolarint, sexennio. 8. Qui insuper causam immolandi dederint, decennio puniantur. 9. Diaconis, inter ordinandum contra continentiam protestatis, uxores non negentur: professis continentiam, sed non servantibus, ministerium auferatur. 10. Desponsata, etiam a raptore corrupta, reddatur sponso. 11. Adhuc Catechumenus lapsus, post baptismum ordinari queat. 12. Chorepiscopis non liceat ordinare Presbyteros aut Diaconos; nec mandatum dare Presbyteris civitatis. 13. Clerici carnem superstitione respuentes cessent ab omni officio. 14. Contractus venditionis rerum Ecclesiæ viduatæ a Presbyteris factus subsit rescissioni. 15. Qui irrationabiliter versantur, hoc est, Bestiarii aut Sodomitæ, pro varia ætate aut conditione vitæ jam 20., jam 25. annis, jam ad mortem usque pœnitentiæ subjaceant. 16. Tabescentes ex his criminibus reponantur inter energumenos. 17. Promoti ad Episcopatum, nec tamen recepti, remaneant ubi fuerunt Presbyteri. 18. Virginitatem professi, non tamen colentes, habeantur pro bigamis. Sub sororis nomine non permittatur habitatio cum viris. 19. Adulterio sit pœnitentia septem annorum. 20. Fornicariæ vel abortum procurantes decennio pœniteant. 21. Homicidæ voluntario perpetua seu ad mortem usque sit pœnitentia. 22. Casuali septem vel quinque annorum. 23. Divinationibus dediti